



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 84. Vtrum necessitas consequens possit auferre libertatem actui, quem
neccessario infert.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

ter quam quod necessitas penitus antecedens cauulat necessarium necessitate non solius consequentia, sed consequentis, quæ opponitur libertati, licet quod infertur necessario necessitate consequenti, & libera possit esse necessarium necessitate solius consequentia, quæ non opponitur libertati, vt explicabitur quæstione sequenti.

21. Ad 1. concedo Deum per scientiam simplicis intelligentia cognoscere se posse per auxilia indifferentia mouere, & conuertere cor hominis, pro vt voluerit, vt bene probatur in argumento: sed nego posse Deum dependenter ab hac scientia antecederet ad scientiam mediam facere hoc decretum: *Ego volo, vt Petrus liberè conuertatur, cum potentia proxima se non conuertendi*. Impossibilitas huius decreti probatur dupliciter. Primò probatur; nam ex dictis quæst. 63. Deus ad omnia sua decreta debet dirigi à tota sua scientia ipsi non libera: alioquin imprudenter decerneret; sed scientia media est Deo non libera; ergo repugnat Deum aliquod decernere ex sola scientia simplicis intelligentia, independentem à scientia media.

23. Probatur secundò impossibilitas illius decreti. Vt enim bene probatur in argumento, illud decretum esset necessitas antecedens, & inimpedibilis libera conuersionis Petri: sed necessitas antecedens, & inimpedibilis alicuius actus aufert illi actui libertatem, vt probatum est in resolutione quæstionis; ergo illud decretum faceret, vt Petrus conuerteretur simul liberè, & non liberè, & frustraretur se ipsum, siquidè vellet, vt Petrus liberè conuerteretur, & faceret, vt conuerteretur non liberè, quod repugnat.

24. Ad 2. distinguo antecedens: Christus habuit necessitatem omnino antecedentem ad obseruanda diuina præcepta per hunc, vel illum actum, concedo: per hunc actum determinatè, nego: & distinguo consequens; ergo Christus non liberè obseruauit præcepta libertate, qua posset non obseruare, sed transgredi, concedo: libertate, qua posset non obseruare vno actu, sed alio, nego consequentiam, & retorquero argumentum. Christus, quia per vnionem hypostaticam habuit necessitatem antecedentem ad non peccandum, & ad non transgredienda præcepta, non habuit libertatem peccandi, & transgrediendi præcepta; ergo necessitas antecedens aufert libertatem ad id, ad quod est necessitas antecedens. Eatenus verò Christus fuit liber ad obseruanda præcepta per hunc actum, vel alium, quatenus non habuit necessitatem antecedentem ad præcepta obseruanda per hunc actum, sed potuit illa obseruare per alium actum, & omittere hunc actum. Proportionaliter si Deus antecederet ad scientiam mediam decerneret conuersionem Petri, sed non decerneret hanc conuersionem, Petrus posset esse liber ad se conuertendum hac, vel illa conuersione, sed non posset esse liber ad omittendam omnem conuersionem.

25. Ad 3. concedo antecedens, & primam consequentiam, sed nego suppositum antecedentis assumpti. Supponitur enim posse dari necessitatem penitus antecedentem, quæ non immutat principium proximum; hoc autem est falsum. Ratio est, quia ex dictis num. 10. in quarta probatione, principium constituitur proximè liberum ad actum per negationem omnis impedimenti inuincibilis ad omittendum actum; sed necessitas penitus antecedens per se ipsam formaliter aufert hanc negationem, cum sit impedimentum inuincibile ad actum omittendum; ergo.

26. Hinc potest responderi ad interrogationem, qua quæritur, vtrum decretum extrinsecum conuersionis impediatur formaliter, vel radicaliter, & efficienter potentiam proximè liberam se conuertendi? Dico, quod per se ipsum formaliter aufert negationem impedimenti inuincibilis ad omittendam conuersionem, adeoque per se ipsum formaliter impedit potentiam proximè liberam, eo pacto, quo quia lux in aere per se ipsam formaliter aufert priuationem lucis, per se ipsam formaliter impedit tenebrosam, quod constituitur tale per priuationem lucis.

27. Quæres: decretum extrinsecum penitus antecedens conuersionem immutat ne intrinsecè potentiam proximè liberam se conuertendi?

28. Respondeo affirmatiuè, siquidem aufert negationem impedimenti insuperabilis, quæ negatio est vnum ex constitutiuis intrinsecis, & essentialibus potentia proximè libera. Addo, quod fortasse voluntatem ipsam non immutat intrinsecè. Sed aliud est non immutare intrinsecè voluntatem, quæ secundum se præcisè est indifferens ad hoc, vt sit, vel non sit proximè libera; aliud est non immutare intrinsecè potentiam proximè liberam, vt proximè liberam.

29. Dices: voluntas non potest constitui proximè libera per negationem decreti penitus extrinseci voluntati.

30. Respondeo id negando. Communiter admittitur voluntatem constitui proximè liberam per decretum disiunctiuum extrinsecum, quo Deus est paratus concurrere ad plures actus; ergo etiam potest constitui proximè libera per negationem decreti extrinseci voluntati, vt infra magis explicabitur.

QVAESTIO LXXXIV.

Virum necessitas consequens possit auferre libertatem actui, quem necessario infert?

1. Videtur posse. Eadem enim est ratio de necessitate antecedenti, ac de necessitate consequenti; sed necessitas antecedens potest auferre, & de facto semper aufert libertatem actui, ad quem est necessitas antecedens; ergo etiam necessitas consequens.

1i

2. Ref.

2. Respondeo nomine necessitatis intelligi id, ex cuius positione aliud inferitur, ita ut esse non possit, quin aliud sit, eo quod coniungi nequeat cum negatione illius. E. g. quia scientia, qua Deus præsciuit Antichristum peccaturum, non potest coniungi cum hoc, quod Antichristus non sit peccaturus, ac proinde valet: *Deus præsciuit Antichristum peccaturum*; ergo *Antichristus peccabit*, talis præscientia est quædam necessitas, ut Antichristus peccet. Necessitas diuiditur in antecedentem, & consequentem. Necessitas antecedens est, quæ non includit, neque sequitur, aut determinatur ab actu, quem necessario infert. Necessitas consequens est, quæ includit, vel sequitur, ac determinatur ab actu, quem necessario infert. E. g. necessitas, qua ex eo, quod beati videant Deum, sequitur, quod ament, siquidem valet: *beati vident Deum*; ergo *Deum amant*, est necessitas antecedens, quia visio ita infert amorem, ut non includat, neque sequatur, aut determinetur ab amore, sed præcedat naturæ, & determinet ipsum amorem. E converso necessitas, qua ex eo, quod quis operetur liberè contra conscientiam, inferitur, quod peccat, est consequens, quia hoc, quod est operari contra conscientiam, includit ipsum peccatum. Similiter necessitas, qua ex eo, quod ego recordor me peccasse, inferitur, quod peccarim, est consequens, quia memoria evidens peccati sequitur, & determinatur ab ipso peccato commisso. Nam ideo recordor me peccasse, quia peccaui.

3. His positis, quaeritur, utrum necessitas consequens possit auferre libertatem actui, quem necessario infert.

4. Dicendum: necessitas consequens actum ut factum, aut faciendum à potentia proximè potente illum actum exercere, vel non exercere, non potest auferre libertatem tali actui.

5. Probatur primò: nam si necessitas consequens auferret libertatem actui, neque Deus ab æterno fuisset liber ad sua decreta exercenda, quod est absurdum, & etiam contra fidem. Probatur sequela. Nam Deus ab æterno videt omnia sua decreta, puta videt decretum creandi mundum, prædestinandi Sanctum Petrum, reprobandi Iudam &c. sed hæc visio est necessitas consequens exercendi talia decreta; nam Deus non potest illa videre, quin exerceat, ideoque valet: *Deus vidit decretum creandi mundum*; ergo *habuit decretum creandi*; ergo.

6. Probatur secundo: nam implicat, ut necessitas includens, vel supponens essentialiter actum ut factum, aut faciendum liberè, & ut habentem totam definitionem actus liberi, auferat actui libertatem; sed necessitas consequens actum ut factum, aut faciendum à potentia proximè potente illum exercere, vel non exercere, supponit actum ut factum, aut faciendum liberè, & ut habentem totam definitionem actus liberi; ergo &c. Probatur minor: nam actus liber definitur, actus pro-

cedens à potentia proximè potente illum exercere, vel non exercere; ergo necessitas supponens actum ut factum, aut faciendum à potentia proximè potente illum exercere, vel non exercere, supponit actum ut habentem definitionem liberi, adeoque ut liberum, nec potest illi auferre libertatem.

7. Dicendum secundo: omnis necessitas consequens actum ut exercitum à potentia proximè potente illum exercere, est directè, vel indirectè impedibilis à libero arbitrio.

8. Probatur: nam qui potest directè impedire aliquid, potest saltem indirectè impedire omnia, quæ ita illud includunt, vel sequuntur ex illo, ut sine eo esse non possint: e. g. quia ex approximatione ignis ad stupam sequitur, quod ignis comburat stupam, ita ut non possit comburere, nisi approximetur, qui potest directè impedire, ne ignis approximetur stupæ, potest saltem indirectè impedire, ne ignis comburat stupam; sed omnis necessitas consequens ita includit, aut sequitur actum, ut sine eo esse non possit: eo enim ipso, quod posset esse sine actu, non esset necessitas actus; ergo qui potest directè impedire actum, potest saltem indirectè impedire omnem necessitatem consequentem ex tali actu; sed liberum arbitrium cum habet potentiam proximè exercendi, vel non exercendi actum, potest directè actum non exercere, adeoque directè impedire; ergo potest saltem indirectè impedire omnem necessitatem consequentem talem actum, adeoque omnis necessitas consequens actum liberum est directè, vel indirectè impedibilis à libero arbitrio.

9. Dicendum tertio: necessitas nullo pacto consequens actum liberum, adeoque antecedens negativè, est omnino inimpedibilis à libero arbitrio.

10. Probatur: nam liberum arbitrium directè, & immediatè potest solum impedire suos actus liberos, indirectè, & mediatè potest impedire illa solum, quæ aliquo pacto pendent, & sequuntur à suis actibus liberis; ergo quæ nullo pacto pendent, aut sequuntur ex actibus liberis, sunt omnino inimpedibilia à libero arbitrio; sed necessitas eo ipso, quod nullo pacto sit consequens, nullo pacto sequitur, aut pendet ab actibus liberis; ergo necessitas, quæ nullo pacto sit consequens, est omnino inimpedibilis à libero arbitrio.

11. Inferitur proprietatem convertibilem necessitatis consequentis esse, ut sit directè, vel indirectè impedibilis à libero arbitrio; proprietatem convertibilem necessitatis antecedentis negativè esse, ut sit inimpedibilis à libero arbitrio; ideoque necessitatem consequentem ab hac proprietate vocabimus etiam necessitatem impedibilem, necessitatem omnino antecedentem, ita ut nullo pacto sit consequens, vocabimus necessitatem inimpedibilem.

12. Ad argumentum in contrarium patet ex dictis. De essentia actus liberi est, ut procedat

cedat à principio proximo non habente vltimum impedimentum inuincibile à libero arbitrio ad omittendum talem actum; sed necessitas ad actum ita antecedens, vt nullo pacto sit consequens, est inimpedibilis, adeoque est impedimentum inuincibile ad omittendum actum; ergo aufert libertatem actui. At necessitas consequens est vincibilis, & impedibilis, & supponit actum vt factum, aut faciendum à principio proximo non habente impedimentum inuincibile à libero arbitrio; ergo necessitas consequens non potest auferre libertatem actui.

QVÆSTIO LXXXV.

Virum scientia visionis, & media auferant libertatem actibus absolute, & conditionate præuisis?

1. Videtur auferre, primò, quia necessitas antecedens aufert libertatem actui, quem necessario infert: sed scientia visionis, qua Deus videt e. g. Antichristum peccatum, est necessitas antecedens æternitate peccatum Antichristi, illudque necessario infert; ergo.

2. Secundò, si dicatur scientiam, qua Deus videt peccatum Antichristi, antecedere peccatum solum æternitate, non autem causalitate, & natura, contra est: nam scientia media, qua Deus videt, quod si dederit Antichristo talia auxilia, peccabit, antecedit peccatum Antichristi etiam natura; ergo &c. Probatur antecedens: nam quod natura antecedit causam, natura antecedit causatum; sed scientia media, qua Deus videt, si dederit Antichristo hanc potentiam proximam, peccabit, dirigit Deum ad dandam Antichristo hanc potentiam proximam peccandi, adeoque natura antecedit hanc potentiam proximam peccandi, quæ proxima potentia est causa peccati; ergo antecedit natura etiam peccatum, adeoque aufert illi libertatem.

3. Tertiò scientia media, qua Deus videt: Si dederit Antichristo talia auxilia, peccabit, antecedit natura peccatum; ergo non potest natura consequi peccatum; alioquin daretur mutua prioritas naturæ; ergo est omnino antecedens, & nullo pacto consequens peccatum; sed necessitas omnino antecedens aufert libertatem; ergo &c.

4. Quartò necessitas inimpedibilis à libero arbitrio aufert libertatem actui, quem necessario infert; sed scientia, qua Deus videt Antichristum peccatum, est inimpedibilis à libero arbitrio Antichristi; ergo &c. Probatur minor: nam non datur potentia impediendi præteritum, ideoque certum est apud Philosophos, & Theologos id, quod dixit Agatho apud Aristotelem 6. Ethic. cap. 2.

Hoc etiam ipse Deus, soloque carere videtur, Insectum vs faciat, quod factum est, atque peccatum.

5. Quintò cum antecedens est necessariū, etiam consequens est necessariū, vt demonstratum est quæst. 83. num. 11; sed hoc antecedens, Deus ab æterno sciuit Antichristum peccatum, est necessariū, cum non possit non esse verum; ex illo autem antecedenti sequitur hoc consequens: ergo Antichristus peccabit; ergo etiam peccatum Antichristi erit necessariū, ac proinde non liberum.

6. Sextò nullus effectus potest impedire suam causam, dependenter à qua fuit positus; sed potentia proxima peccandi fuit posita dependenter à scientia media, per quam Deus videt, quod si poneretur talis potentia proxima, peccaret; ergo potentia proxima peccandi non potest impedire hanc scientiam mediā, adeoque hæc scientia media est inimpedibilis, & aufert libertatem peccato, quod purificata conditione, necessario infert.

7. Septimò demum explicari non potest, quo genere impeditiois scientia visionis, & media possit impediri à libero arbitrio.

8. Respondeo, quod si fingamus Deum dare homini potentiam proximam indifferentem faciendi, vel omittendi actum, & propter defectum luminis intellectiui Deum ignorare, an homo sit facturus, vel non facturus actum, puta an sit peccaturus, vel non peccaturus, procul dubio homo liberè se determinabit ad actum; sed pro eo casu homo liberè se determinaret, non quia Deus esset cæcus, & non videret liberam determinationem hominis, sed quia homo haberet potentiam proximam indifferentem ad actum faciendum, vel non faciendum; ergo posito, quod homo ponatur cum eadem prorsus potentia proxima, liberè se determinat ad actum, etiam si Deus non sit cæcus, sed per infinitum lumen intellectiui ab æterno videat, quod homo ita se determinat ad actum, vt habeat potentiam proximam se determinandi ad omissionem actus. Confirmatur: nam est impossibile, vt Deus per hoc, quod videat hominem liberè se determinare ad actum, auferat libertatem actui; sed Deus quia non est cæcus, sed habet infinitum lumen, videt hoc ipsum, quod nimirum homo liberè se determinat ad actum; ergo si Deo non vidente, actus esset liber, etiam Deo hoc vidente, actus remanet liber. Eodem pacto ostenditur scientiam mediam non auferre libertatem actui conditionate præuiso. Nam si Deus ex defectu luminis intellectiui non videret, quid liberum arbitrium esset facturum, si haberet hanc potentiam proximam faciendi, vel omittendi actum, actus procedens ex hac potentia proxima procul dubio esset liber; sed esset liber, non quia Deus esset cæcus, & careret scientia media, sed quia procederet à potentia proxima indifferente; ergo etiam si Deus per scientiam mediam videat, quid liberum arbitrium esset facturum, si haberet hanc potentiam proximam, actus factus ab hac potentia est liber. Confirmatur: nam cum Deus per suum infinitum lumen videat hoc